Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36490
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

g. et ne sollicita eris de donis que postulas. Nam et his qui pas- 175
sionem tuam deuotis mentibus celebrauerint. presidia opta-
ta et opem promitto. Facta igitur hac uoce. xpi uirgo lacteam cer-
uicem protendens spiculatori ait. Ecce ego uocor a domino meo ihu
xpo. tu iam impiger age. et redde expletum quod a tyranno
accepisti mandatum. Mox ille insurgens. decollauit eam.
Quo facto. due res digne memoria apparuerunt. Vna quia
lac pro sanguine in testimonium uirginalis innocentie
de corpore eius effusum. terram uberius irrigauit. Altera
quia mox angeli accesserunt et assumptum corpus per altum
aera subuehentes. in montem synai deposuerunt. Qui
mons a loco occisionis distat uiginti et eo amplius itine-
ris dierum. Quo in loco innumera ad laudem dei fiunt mira-
cula. Inter que et hoc unum insigne constat miraculum. quod
de sepulchro ipsius riuus olei indeficienter manare uidetur.
Nam et de minutis ossibus que de sarcofago cum oleo efflu-
unt. ubicumque asportantur. salutaris olei liquor stillare non desinit.
Ex quo puncta debilium corpora. celeris medicine opem
reportant. Passa est igitur beata katerina mense nouembrio
uicesima quinta die. feria. vi. hora tercia. seruans uidelicet
diem et horam qua xpc pro mundi redemptione ad passionem
properauit. cui est laus et gloria per infinita secula seculorum. Amen.